Exemplum epistolæ ad Albertum Bolognettum

Alberto Bolognetto totius Curiæ R.mo atq; Ill.mo Nuntio Apostolico, clariss.o uiro Franciscus Boccius sal.

Disceptationem, quæ à non nullis tantopere animi causa celebratur, de primo imperatoris gradu ad te mitto. Memini enim cùm essem apud te, permulta esse de hoc negotio dicta, et te magna contentione usum, quò grauissimos auctores, qui ijs memoriæ mandarunt, culpa omnino liberares. Quod cum mihi non poenitus excidisset, rem eandem rursi scriptione sum aggressus, et te mei iudicij iudicem constitui; ne quid mihi tam magna in re arrogantius tribuerem. Hæc, quæ scripsi, spinosiora sunt, quàm res ipsa fortasse postulat; sed tamen poenitus à proposita facultate non abhorrent, quæ leporis, et elegantiæ inimica de sententiarum grauitate solum, non de uerborum lenocinijs laborant. Subtile hoc probandi genus sine artificio quodammodo occulti tamen artificij curam inexcusabilem deprehendebat. Vt si minus pro rei grauitate, ipsum persecutus sum, non mihi uoluntatem, sed ingenium omnino scias defuisse. Ego, si omnia memoria tenerem, contentus eo esse poteram, quod te de hac re disserente didici. Copiosè enim, et subtiliter à te totum hoc negotium pertractatum est, ut uerear interdum, ne. grauibus illis uiris, qui accusantur, negotium facesserim. Hæret mihi omnino aqua in causa minimè mala, è qua tu mirabiles eloquentiæ fontes me audiente profudisti. Quod si apud eos pluribus uerbis res esset pertractata, minus profecto, dum legunt, se homines torquerent, et suo ingenio non nihil tribuerent, in in ipso planè negotio conquiescerent. Ego uerò nullo ingenio, nulla industria præditus, id essem aggressus numquam, quo tibi molestiæ, non uoluptatis causam afferrem. Hoc autem præcipuè in hac disceptatione tenendum esse duxi, uni Annibali credendum

esse

esse, qui grauissimis bellis exercitatus scienter, et uerè de re tota disserere potest. Quòd si eidem fides detrahatur, ne disserendum quidem erit, sed ad uniuersum disputationis genus reuocandum. Tu mei iudicij nulla ratione habita statues omnino, quod uerum est his meis lucubrationibus lectis; quæ ut ruri sunt confectæ, ita rusticanam quandam facultatem olent, et minime præterea dignam, quæ à tuis auribus eruditissimis audiatur. Quòd si illius Phormionis casum effugero, qui apud Annibalem tantopere offendit, omnia mihi facilia, et secunda euenisse arbitrabor. Vale.

Cons. Port. Imole

Exemplum epistole misse ad Rubum Apostolicum.